ANONYMI
GRAVISSIMA EPISTOLA
AD
SIGISMUNDUM IMPERATOREM
In Concilio Constantiensi scripta
DE EMENDANDIS ECCLESIASTICORUM MORIBUS.
Ex antiquissimo Codice MSCto
AUGUSTISSIMÆ BIBLIOTHECÆ CÆSAREÆ VINDOBONENSIS.

SERENISSIME PRINCEPS.

Ad perficiendum reipublicæ profectum se quilibet præparet *vir fidelis* pariter *& honestus.*

Ego enim *Heinricus mobilis*,
Episcopus nullius diœceseos,
vagorum
vagus
licet minimus inter ceteros nostræ congregationis ministros
ad hoc deputatus
legatus seu nuncius specialis,
missus in universum orbem,
omnia videns,

Veniens *visitando limina beatorum Petri & Pauli*, inductus per canticum illud: *Revertere, revertere Sunamitis &c.* Vidi ibidem ea, quæ hominem non decent loqui, & specialiter, quod dicitur,

Dum caput ægrotat, cætera membra dolent.

Summũ Ecclesiæ regimen corruptũ circa tempora Concilii Const.

Vidi enim turbam, quam nemo dinumerare poterat. Et inter cætera ipsum *caput sanctæ matris Ecclesiæ, multis infirmitatibus discrasiatum* per membra singula usqve ad plantam pedis. Omnes enim *capitis virtutes morbidæ* erant.

Et primo ipsa *ratio:* Qvamvis deprecetur ad optima, quæ gravida valde,
propter Syncopen,
apoplexiam,
& bulimiam, qui est immoderatus crapulæ appetitus.

Superbia origo schismatis ante tempora Concilii Const.

Inde infirmitates alias vidi *corpus gravantes, & omnes species febrium.*

Et primo ipsam *superbiam.* Qvæ est & erat principium & *origo schismatis.* Nulla enim ibi *charitas.* Qvia *mortua:* Qvamvis vinculum sit perfectionis. Et utinam omnis mundus clamaret, ac nulla vox sileret!

charitatis exilium.

In periculis maris fui. Qvid vidi? Ipsam *Sancti Petri naviculam* cum remis suis & velo disruptam & disordinatam ac laceratam.

Qvid vidi *Romæ?* Ipsam *Simoniam* in summo gradu existentem.

Simonia olim in Ecclesia regnum.

Qvæ est ibi *vita* Sancti Petri gregis, & sanctorum patrum? Qvæ *cura animæ?* Cum Deum diligat, qui charitate proximum diligit, *doctrinam Sancti Pauli destructam!*

Cura animarum neglecta.

Qvantæ *dispensationes*, animam occidentes in gehennam!

Doctrina Pauli pessundata.

Clamavi, utinam caderent montes, & cooperirent nos propter *enormia!*

Dispensationes frequentes.

O Justitia, ubi viges inter ipsos *Cardinales*, qui bene appellari possunt Cardones, & *Auditores*, causam seu causas & litispendentia per triennium servantes.

Justitia fuga.

O Deus clementissime, noli extendere manum tuam, sed misericordiam tuam.

Qvid ultra vidi?
Membra pectoralia,
cor,
hepar
& pulmonem,
totum corpus gravantia:
Ipsos *Cardinales,*
Patriarchas,
Archi-Episcopos,
Episcopos,
Prælatos,
omnes per pestilentiam infectos,
cæteros inficientes,

Ecclesiasticorum superiorũ mores depravati.

pluralitatem beneficiorum possidentes,
mundi vanitatibus & pompis adhærentes,
& vitam Anti-Christi possidentes,
vestigia Christi imitantes,
& carnales Deo rationem denegantes,
omnes fallacias & trufas mundi exercentes,
fornicationi instantes,
campanas pauperum pulsantes.
Et *habentes dare habent regnare.*
O summa virtutum *humilitas*, quantum in nobis deficis! Qvid plus operaris in *Curialibus?*

Curialiũ olim canones.

Omnem malitiam perficientes,
animam nullo modo considerantes,
horas canonicas non cutantes,
tanquam desperati viventes,
jejunia frangentes,
pauperes in gratiis defraudantes,
nulli justitiam facientes,
sententias & justitiam revocantes,
commissiones falsarias obtinentes,
in omnibus casibus dispensantes,
nulli veritatem dicentes,
recipientes per fas & nefas quæ sua non sunt.
O sancta sapientia, quæ ex ore altissimi prodiisti, veni & clama, & non cessa clamare! Voca *medicum!* Hæc enim omnia commemorata in nos *membra particularia* devecta & devoluta sunt.
Vidi & regimen *Archi-Episcoporum* & cæterorum *prælatorum.*

Archi-Episcoporũ olim mores.

Talia & similia exercentes & majora,
nulli fidem tenentes,
curias & curiales per vitam inordinatam destruentes:
Cum *virtus* nobilitet hominem, quæ heu omnibus *deest.* (O miles! Bene ergo diceris defensor viduarum & pupillorum: Diligis enim ipsam iniquitatem, spolia, fraudem, & nutris ipsos blasphematores, occisores &c.)
Nullis exempla bona ministrantes,
minus idoneos promoventes,
consangvineos in Episcopos locantes,
& nulla spiritualia canonice facientes,
synodos non tenentes,
& si tenent, non tamen defectus corrigentes,
nec vitam clericorum & habitum servantes,
sed incedentes ut superbi & seculares.
O sancta Ecclesia, quomodo consumeris! O matrimonium sanctæ matris Ecclesiæ, qualiter inutiliter expendi videris!
Vidi heu *principes* & *seculares*, curas animarum gerentes,
religiosos vitam regularem deserẽtes,

Monachi Mendicantes.

& specialiter ipsos *Mendicantes* totum mundum destruentes,

Benedictini.

Benedictinos mundanis adhærentes,
in tabernis, ludis, & mimis illicitis habitu derelicto latitantes,
(O REX REGUM, hanc vitam Sancti Benedicti tuæ imprime memoriæ,)

Canonici.

ipsos *Canonicos* pluralitatem beneficiorum minus juste possidentes,
superflua in eleemosynas non largientes,
gratias Deo nullo modo offerentes,
& præsertim in omnibus Ecclesiis cathedralibus divina occultantes,
nec horas canonicas dicentes,
chorum negligentes,
cum devotione nullo modo psallentes.
O mater Ecclesia, quantum doles in isto membro! Ipsi enim non considerant, *servitia* fieri *propter beneficia.*

Pastores Ecclesiæ.

O Petre, pastor Ecclesiæ, qualiter pascis oves tuas! Bene consideravi sequaces tuos, *Curatos*,
curam gerentes & nullo modo intelligentes,
confessionem audientes,
pœnitentiam justam non impendentes,
sacramenta Ecclesiastica indignis ministrantes,
usurarios non corrigentes,
nec ad satisfactionem eos compellentes,
superbiam, luxuriam & cætera mala non prohibentes,
sed dantes exemplum malum, & ministrantes,
idiotas promoventes,
nec ad hoc ipsos deputatos sufficienter examinantes,
& sic Ecclesiam & ipsum caput conturbantes,

Et sic

(Et sic tota lex recessit à sacerdotibus,
justitia à senioribus & judicibus,
disciplina à scholaribus,
castitas à virginibus,
defensio à militibus,
usque ad statum infimum)
& super omnia decimas Ecclesiarum incorporatarum recipientes,
& specialiter religiosos & sic Ecclesias destruentes,
ipsis vicariis & plebanis & capellanis vix victum ministrantes.

Perpéde, REX INCLYTE, punctum istum. Ipsi enim *idiota* in Ecclesiis sedent optimis, & *magistri* & *doctores* & *honesti viri* in miseria sunt viventes.

Ignorātia Cleri.

O clementia divina! Qvid vidi inter ipsos Principes, & principaliter Romani Imperii electores, qui lupi sunt & destructores, quæ non licet hominem loqui.

Considera, REX ILLUSTRISSIME, in terris Franciæ! Omnis enim *politia calcata est* in membris capitis tui.

Vide ergo & considera, redde rationem. *Qvis* enim *unquam visus est tantæ potentiæ, qui tantas & tot tribulationes, miserias & paupertates tuas dinumerare possit.*

Nec similem tibi reperio. Sed certa, ut te decet. Nec tibi potentiam tuam attribuas. Qvia *hæc in te unus & idem Spiritus operatur.* Qvare *tibi corona cœlestis datur.*

Libenter ergo sufferto labores, dolores, paupertates & angustias. Dilige, quemadmodum Christus dilexit nos.

Calcaria Sigismundo Imperatori addita. Mores olim corrupti.

Qvia ego *Henricus* prænominatus, per mundum vagans, animadverteram, *quamplures homines graviter errare in viamorum, succurrendum & consulendum fore* existimavi. Maxime *ut homines gloriose viverent*, vitam sempiternam possiderent.

Nunc *Te, qui bene REX REGUM & DOMINUS DOMINANTIUM diceris*, decet congregare Hippocratem, Avicennam, Galenum, & totius medicinæ Doctores: *Nec tibi deficit gratia:* Ut medelam ferant langvidis, & in præfatis infirmitatibus gravatos sanent, & medicamina salubria præstent.

Et manda facere *unguenta* caput sanantia, *pilulas* digerentia ministrantes, *clisteria* apponenda, macrum cum verculibus suis eradicantes, & cum pistillo in mortario terentes.

Parænesis ad Sigismundum, ut Ecclesiam restauret ac emēdet.

O REX INVICTISSIME & *Hippocras*, una cum *sancto & sacro concilio tuo Constantiæ existente*, voca ipsos medicos mundi, sed tantum justos & sanctos, & *sacri concilii lumina, Deum timentia, & sana, & fac sanari* prædictum infirmum per totum caput suum, & non tantum caput, sed & manus & pedes, qui ulceribus est plenus, & mitte lingere canes ulcera ejus. Et *fac reformare* corpus pristinæ sanitati.

Qvære & *urticas, absynthium, & entianum*, & fac *sirupos laxativos* ipsis rebellibus. Ut *perfectio sanctæ matris Ecclesiæ*, taliter *per Te inceptæ*, & per ipsam sapientiam *sancti & sacri concilii tui reformetur, & redintegretur.* Qvis enim unqvam audivit tasia, dic rogo, facta?

Qværere ergo veneram in mundum illud, quod sancta mater Ecclesia diu perdiderat. Nec est inventum per me, sed omnis iniquitas.

Indue ergo galeam, armaturam, certa ut miles. Quia tua pugna est nostra fortissima salus. De qua tibi laus datur æterna.

Preces ad Deum pro felici Reformatione in Concilio Const.

Veni ergo Sancte Spiritus, & emitte cœlitus lucis tuæ radium in sapientiam & scientiam tuorum fidelium, pro nunc *in isto sacro concilio Constantiensi* existentium, ut ad bonum accelerent & malum destruant. Et defende caput nostrum, SIGISMUNDUM, REGEM SERENISSIMUM, *qui bene* REX REGUM & DOMINUS DOMINANTIUM *appellari dignatus est.* Et conforta & corrobora ipsa luminaria jam divinitus lucentia, & populum sanctum tuum. Et infunde ipsis lumen totius justitiæ. Et infirma nostri corporis virtute firma perpetim. Qvam gratiam nobis altissimus tribuere dignetur. Amen.

SERENISSIME PRINCEPS. Dignetur *Regia Majestas* hanc epistolam nostram, per nos vagorum Episcopos tibi directam, gratiose recipere, & nos excusatos habere, de insufficienter expressis in ea. Qvod si quæ male sint posita, committimus correctioni tuæ. Excusa etiam nos apud tuam sapientiam,